

MAXIMAM SOLIS DECLINATIONEM
 inuestigare. Propositio VI.

Obserua per regulas superius traditas circa solstitium æstiuum, eo nimirum tempore, quo sol attingit primum gradum Cancræ, quod ex Ephemeridibus, aut aliunde facile disces, altitudinem solis maximam: sic circa solstitium hyemale, cum sol attingit principium capricorni, minimam altitudinem solis, quam detrahe à maxima, & quod remanet diuide bifariam, medietas illa erit declinatio solis maxima siue in boream, siue in austrum. Exempli gratia. Ioannes Regiomontanus depræhendit hîc Viennæ maximam solis altitudinem circa solstitium æstiuum grad. 65. min. 30. minimam verò grad. 18. min. 30. subductis igitur à 65. gradib. 30. min. gradibus 18. min. 30. remanent gradus 47, qui diuisi bifariam relinquunt 23. gradus 30. min. quæ est maxima declinatio solis, quam potest habere vel in boream, vel in Austrum.

PER MAXIMAM SOLIS DECLINATIONEM
 cuiuscunque puncti Ecclipticæ declinationem
 inuestigare. Propos. VII.

Quod ut perficiatur supponendum est ex Regiomontano in Epitomen Almagest. lib. 1. Prop. 18. Ex Petro Nonio Lusitano secund. parte de crepusc. Prop. 2. Ex Clauio lib. 1. suæ Gnomon. in Corollar. Prop. 1. sinum arcus cuiusvis, quo distat punctum aliquod Ecclipticæ ab alterutro puncto æquinoctij sibi viciniori, id est, à principio arietis vel libræ, ad sinum declinationis eiusdem puncti ita sese habere, ut se habet sinus totalis nempe 100000, ad sinum maximæ declinationis solis, qui ex tabula sinuum posterius posita, colligitur esse 39874. Nunc igitur per Regulam proportionum si multiplicetur sinus maximæ declinationis solis, nempe 39874. per sinum arcus quo datum punctum Ecclipticæ distat à viciniori æquinoctio,